

P R A E F A T I O .

arctius etiam astringere . Quod si harum commoditatum utilitatumque effectoribus tantus bonus habendus est singulis , quibusnam tandem aut literarum , aut operum monumentis ejus gloriam digne illustrabimus , si cuius ars ac disciplina tanta sit , ut universa illa contineat ac complectatur ? aut si quis harum omnium artium moderator , & tanquam architectus , quatenus quanque , quoque modo progredi deceat , indicet , atque prescribat ? Est enim difficilis illa quidem & ardua in praeclaris nonnullorum hominum ingenii , cæterarum omnium princeps ac magistra , minime tibi quidem incognita , facultas quædam , quæ civitatum procurationem sibi vindicet , & Reipublicæ regendæ muneri præposita sit , atque eam artem , civilem rationem , eandemque prudenteriam licet appellare : cuius quidem disciplinæ qui compotes sunt , non una modo aut altera re separatim hominibus commodare ac prodesse , sed universam eorum gubernationem suscipere volunt : nec illud efficere solum conantur , illi privatim ut libere , ut tuto , ut jucunde , sed ut bene etiam beateque publice vivant . Quamobrem tanti ac tam præclarri operis artifices , non ut reliquarum artium magistri laudibus solum extollendi sunt , sed etiam (si modo dictu fas est) in deorum immortalium numero , quibuscum humana- rum rerum procurationem propemodum communem habeant , venerandi atque colendi . Atque horum artificum vestro in senatu maxima omnino facultas est , semperque fuit , id quod res ipsa declarat : nec enim tanta , tamque opulenta ac beata civitas vel constitui initio potuit , vel deinceps tantopere augeri & crescere ; nec vero uno eodemque statu , & tanquam habitu , tot secula , id quod nullis gentibus , ut totius vetustatis memoriam quam longissime repetamus , usu evenit , manere , sine eximia quadam prudentia , sineque admirabili ac divino cum patrum vestrorum , tum vestro , qui nunc eam talem tantamque tuemini ac regitis , consilio . Ac video eisdem pluribus , quam vos , gentibus aliquot annos dominatam olim esse civitatem unam aut alteram : veruntamen (libere enim dicam quod sentio) imperium bello partum saepe feritatem , saepe violentiam atque injustitiam , for-

tunæ